

D.N. V DAL RICHI ZASII

# SINGVLARIA RE SPONSA, SIVE INTELLECTVS IV RIS SINGVLARES, INSIGNI ACCESSIONE locupletati. Nam libris, quos æditio prior habebat, libri totidem, qui- busq; scilicet singuli, quorum & ipse in locis plerisq; mentio- nem facit, & nos æditionē antē polliciti sumus, nunc primum sunt adiecti. Idem in Antinomia- rum quoque dissolutionibus factum est.

*H*is annexa sunt eiusdem autoris, quæ ab alijs unquam excusa fue-  
runt, omnia. Cetera ex præfatione cognoscet.

Cum duplice Indice, rerum & capitū, copiosissimo.



*Sub Imperatoriae Maest. & Regis Galliarum priuilegijs,  
quorum exempla post præfationem inuenies.*

B A S I L E AE  
APVD MICH. ISINGRINIVM,  
ANNO M. D. XLL

Io.  
Germanus.



INVICTISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO NOSTRO, DOMINO FERDINANDO, PRINCIPI ET INFANTI Hispanie, Archiduci Austriae, Burgundiae &c. Romani Imperij locum tenenti generali, Domino clementissimo, Vdalribus Zafius LL. & Doctor & ordinarius Friburgen sis, sc̄e commendat.



Amet si SERENISS. PRINCEPS, legalium studiorum disciplinæ, ultro & sint pulcherrimæ, & omnem in partem, non solum dictio[n]is elegantia, sed etiam decisionum æquitate absolutissimæ: Scriptorum tam en cōmentarijs, interpretationis sinistritate, alij s̄q̄ immodicis erroribus plerisque in locis male habitas esse, satis cognitum est: siue illud rei latinæ, aliarumq̄ bonarum literarum ignorantia facilitatum sit, siue quod maiores nostri opinionum fluctibus plus nimium indulserint. Cum autem omnia toto iam orbe præclara studia, germanæ synceritati redderentur: non erat committendum, ut saluberrimæ illæ legales doctrinæ, in errorum tenetbris diutius uoluerentur. Quo nomine & annis iam superioribus Guilielmus Budæus, uir græcè & latinè doctiss. priores Pandectarum libros, rei latinæ non mediocri cum profectu, & idipsum elegantissime restituit. Deinde Alciatus, uir Iuris civilis cum uno aut altero facile princeps, & idem utriuscq̄ lingua peritisimus, quod ad legales decisiones attinebat, in Paradoxis, & item in Dispunctionum, alij s̄q̄ suis librīs, complures Iuris civilis locos ex iusto illustravit, per purgatisq̄ male locis erroribus, & luci reddidit & ueritati. Quorum honestissimo labore animum fumentes, & nos quoque nonnullos Iuris civilis locos ab opinionum carcere, à sinistrarum interpretationū claustris liberauimus: non ueriti uel contra Accursium, nedum aliorum Doctorum sensa, ueriores inquirere intellectus. Quos cum speramus nos esse adsecutos, (ex textib. enim & uiuis rationibus nostra fundauimus) neminem ex bonis uiris futurum credimus, qui denissimam istam prioris seculi opinionū nubem, relicta ueritate, amplecti deinde cupiat. Collegimus autem alia quedam, quæ & Iuris civilis synceritati cōmodant, & singulis responsiſ adscribi iure possint, quæ futurus fortasse annus proficeret, dum præsentes nostros labores æquioribus fatis exceptos compere: nam modica isthac (periculum facturi) quasi uelitando ædidi- mus. Quicquid id lucubrationis sit, ILLVSTRISS. PRINCEPS, tuæ illustris, Maiestati dedicare uolui: non quod dignū ullo pacto munus iudicem, sed animum in te affectatissimum, maxima quæc si possem tua causa adeundi, declarare uolui. Nam præterquam quod immorta li munificentia, tua me Maiestas adfecit, priuilegio laudatissimo, & co

# DN. VDALRICHI

ZASII IVRECONSULTI SIN-

GVLARIVM RESPONSORVM

LIBER I.

Genus quatuor modis accipi, aliter quam Bartolus, & communiter  
Doctores sunt opinati.

CAPUT I.



V A N D O in Iure nostro ciuili sapientia generis  
fitmentio & speciei, quaetamen, quantum ad obliga-  
tiones attinet, à Doct. uel explicantur frigide, uel male  
confunduntur, eoq; nomine nō parum multi errorē  
passim doceantur, recte ac ordine fieri puto, si mox à  
fronte eam rem & distinctius & perfectius tractaueri-  
mus. Ea enim comperita tractatione, materia functio-  
nis & cognitu erit facilior, & in uniuersum rerum in-  
certarum obligationes fundatori declaracione lumē  
accipient.

G E N V S igitur, extra eas acceptiones quas in Isagogis suis Porphyrius enun-  
terat, quantum ad legales disciplinas satis est, quatuor modis accipi putamus.

Primo genus dicitur quod nō habet certum nomen, sed simpliciter, nulliops de-  
terminatae qualitatē ad strictū, uelut anonymū relinquitur. Sic ēm ultima uolu-  
tas in genere inuenitur, ut quę nec sit testamentū, nec codicillus, nec donatio cau-  
fa mortis, nec alio speciali nomine nominetur, sed simpliciter in generali appella-  
tione ultime uoluntatis relinquatur, de qua facit mentionē gl. not. in l. licet. C. de  
pact. Sic & hæredem inuenio sine certa qualitate. gl. Instit. de eo cuti. cau. Porro  
& ius cuiuslibet in genere sine alio speciali nomine cōperitur, scilicet quod nec si lex,  
nec edictum prætoriū, nec plebicitū, nec cōstitutio, nec cōsuetudo, nr l. n. 5. haec  
disputatio, & quę libelatus diximus, de orig. tur. Porro & in l. li ego. ff. si cer. pet.  
voluntatē ab quā in genere colligimus. Cum ēm ibidem pecunia dicitur secun-  
dum uoluntatē dantis esse consumpta, uoluntas simplex in genere anonyma ins-  
telligitur: si quidem contrahentes, quo ad speciē contractus, dissenserant. Ifstage  
teris appellatio, non ideo genus dicitur, quod ad species respiciat; nullas ēm sub  
se species habet, sed earatione sic nominatū est, quod solum sit, & (ui dixi) anonym  
um, ad nullam certam speciem accedens. Et quāvis Alex. in d. l. licet. actionem  
etiam in genere inueniri putauerit, attamen quo ad hanc generis acceptiōne errat:  
aliam in ratione, actio in genere esse dicitur, sicut i suo ordine patere poterit. Sed  
40 miscellanea, & cōfusa generis pro genere usurpatio, hos &c alios errores peperit.

Secundo modogenus pro qualitate & conditione rei accipitur, ut, cum tyran-  
nus dicitur esse eius generis, id est, conditionis, ut non facile ad humanitatem per-  
suadeatur. Ea loquendi figura Iureconsultis frequens est, ut in l. quælitatē, §. idem  
Celsus. ff. de fund. instr. ubi dicitur, hoc genus seruos. in l. & ita. §. ex hoc dicitur,  
ff. naut. caup. stab. ubi coēretur improbitas eius generis, id est, conditionis, quo  
sunt nautæ, caupones, cum multis simil. Porro & species pro qualitate aliquan-  
do & cōditione sumuntur, ut in l. permisceri. §. species. ff. de acq. poss. l. proponeba-  
tur, de iud. l. si soluturas. de sol. cum simil. Sepe etiam sit, ut genus hoc modo ac-  
ceptum pro specie, id est, qualitate usurpet, ut in l. non uidetur, ff. de iud. ubi ge-  
neris acceptiōne non respexerit, quod certe ex eo fatis colligimus, quod is ipsi in  
l. sim. ff. de cond. caus. dat. Iureconsultū, inter alia contractus genus nominante,

A

tuisse, qui ex solidissima fide, & uelis, & pro incomparabili doctrina possis à maleuolis eos defendere. Non deerit defensioni, si ita res ferat, nobilis ille Federicus Franz ab Schneberg, Dñi principis nostri consiliarius insignis, quem ego primæ etatis iuuenem à diuo Maximilio meæ cōmendatum præceptioni & tutelæ, non minori fide & amore, quam filium proprium eduxi. In quo uicissim tanta præ omnibus iuuenibus erat in præceptorem pietas, ut nihil omittet quod laudissimum præstaret alumnum, & simul pulchra eruditione cōmendabilem sese redderet: ut nemo mirum fecerit, qui diuorum Principum nostrorum curiam iam ab adolescentia cum dignitatis honore secutus, inter primos primus claruerit. Sed de eo aliás plura. Vale, Friburgi, VIII. Calend. Februarij, anno M. D. XXXII.

# D N. V DAL R I C H I

ZASII SVBSTITUTIONVM TRACTATVS.

320



**V**ENIAD MODVM institui dicuntur, quæ principaliter ore Instituendi / substituendi verbū dinata sunt & statuta; ita & substituendi uerbum ea complectitur, quæ subordinantur: & utriusq; uerbi significatio latè patet. Nam & uita institui dicitur dum cōponitur: & leges instituere dicimus dum ordinamus, statuimus. Sic & uerba substituendi ad multa usurpat: substituuntur enim procuratores, substituuntur iudices dum subordinantur. Item & arbores substituit usufructarius in locum demortuarum, & si quæ sunt similia. fa. l. pe. iud. sol. l. agri. de usufr. Cæterum in materia ultimarum voluntatum uerba instituendi & substituendi ex cōmuniter accidentib. successionē uniuersalem respiciunt: qui enim hæres generaliter ordinatur, institui, & is qui sequenti loco subordinatur, substitui dicitur, & ita usu obseruatur. In singulari autem successione, quāuis uerbum substitutionis ad legata & ad donationes causa mortis accommodatur, l. ut hereditib. deleg. q. l. Titia. s. Scio. s. libertis. ff. eod. l. si cui. de donat. cauf. mor. cum simil. non tamen inuenio quod institutionis uerbo, testatores in legatis & donationib. usi sint, fortasse ne ordinationes successorib. quæ discretæ esse debent, miscerentur: uerum ex uerbi significacione, nihil impedit si & legatarij & donatarij (ut Polito satisfaciamus) institui dicantur. Est ergo, ut proprius ad materiam accedamus, substitutione nihil aliud, quam sequenti loco faciat & subordinatio, quod & Accurs. in rub. de uulg. & pup. attigit, dum substitutionem secundam esse institutionem definituit. Superuacaneas autem disceptationes, quibus Sozi. in d. l. l. ff. eod. in prin. sua repetitionis inuoluti, transeo, ut quæ ad nihil aliud quam ad fatigationem studiosorum, & ad obscuritatē materiae, quæ tamen ultro difficultas est, tendere uidentur. Sunt autem uerba institutionis & substitutionis inter se ita confinia, ut uerbo institutionis aliquando ad substitutionē abutamur, ut in l. mulier. in fin. de cond. instit. l. Gallus. in prin. de lib. & posthu. l. quæ conditio. de cond. & demonst. Porro uari gradus substitutionum fieri possunt: testator em Titio herede, primo loco instituto, deinde sempronium secundo loco uel gradu, & porro Flaccum tertio loco uel gradu. & ita deinceps potest instituere, ut in l. iii. de lib. & posthu. cum simil. Et quāuis Politus ingenij sui subtilitate, differentiam inter illa uerba, primo gradu uel primo loco, facere uideatur, gl. tamē in d. l. l. in prin. gradum pro loco sine differentia posuit,

Substitutione  
quid.

Cas p̄tius Socinus.

magis gradus substitutionis loci posuit

per text, in l. iij. §. defertur de bon. poss. secun. tab. ubi non refert hæredes primo gradu, an primo loco sint scripti: quod certe ad uitandam obscuritatem expeditius esse credo, quicquid alias tenuerim &c. Adde secundum Sozi, ea uerba, primo uel secundo loco uel gradu &c, ad vulgarem referti, non ad pupillarem, quæ secundarum tabularū, non secundi gradus dicitur, per l. iij. ad fin. uers. si ita.

*nota bona modi corrigerendise.*

*Sunt titula sine institutione genere de vulg. & pup. Hoc quoq; non est prætereundum, substitutionē sine institutione esse nō posse, id quod gl. in d. l. i. ad prin. recte docuit: siquidem & uerborum uis idipsum efflagitat, licet à nonnullis oppugnetur, per l. i. quis ita hæres instituatur, & l. ex factio, de hæred. instit. in quibus substitutionē facta esse apparet, nullo hærede instituto. Sed uerior est assertio gl. quam etiā las. post Doct. sequitur.*

*Et certe uerborū natura exigit, ut nemo subordinari possit ei, qui non sit ordinatus. Et non obstanti uera in contrariū facta, quia recte intelligendo in utrisq; ll. nō fit mentio substitutionis, sed potius institutionis sub conditione factæ, quod etiā dicitur tenuisse Imol. ut cum Sozi, allegat. Nam in d. l. si quis ita, ex illis uerbis, si legitimus hæres non uendicet: euidenter apparet, quod legitimus hæres nō ex testamento, sed ab intestato succedere poterat. Unde cum dicitur conditionē testamenti defecisse, ea conditio ad institutionē pertinere intelligenda est, nō ad substitutionem. Sic in l. ex facto. Sempronius nō erat substitutus, nec lex hoc dicit, sed fuit sub conditione, licet frustratoria, institutus. Quomodo enim substitutus diceretur, cum nullus institutus præcesserit cui substitueretur? Eo accedete, quod d. l. ex facto, uarie intelligitur, ut ibi per gl. Quod si quis moueretur contra gl. ex eo, quod in legatis & donationibus cau. mor. substitui potest, cum tamen nulla præcedat institutio, ut etiam suprà meminimus: sed non obstat: nam gl. non stra ad successiones uniuersales haeredum respexit, non ad legata. Deniq; cum in legatis substituitur, uerbum legandi, quod præcedit, institutionis uicem referre intelligitur. Et tantum de præludijs.*

*Directa, et obliqua substitutione.*

Nunc ad substitutionis materiam accedentes, substitutionem indeterminate sumptam ex mente Doct. in directam & obliquam diuidimus. Directa est, per quam substitutus directe, immediate, sine ministerio alterius capit hæreditatem testatoris: ut cum dicitur, Hæres esto. At obliqua est, per quam substitutus hære ditatem ex manu alterius, & sic uia obliqua capi: ut cum dicitur, Hæres restituat hæreditatē Titio. Instit. de fideicom. hære. per tot. de qua postea suo ordine plus ra dicentur. Porro directa substitutione subdividi in quinq; species solet, in vulgarem, pupillarem, exemplariam, breuiloquam & cōpendiosam. Nec temoueat quod substitutionē in quinq; species diuiserimus, cum tamen Jureconsultus in Liam hoc iure, eod. rit, breuiloquam tertium genus substitutionis nominauerit. Nam eo loco genus pro specie more legali sumit, id est, pro re determinata, quæ ab alijs certa qualitate differat. Sic enim Jureconsultus uerbogeneris frequentius simile abutitur, ut in l. iij. §. genera. de acqui. post. cum dicit, genera possessionum sibi esse, quot sint cauæ acquirendi &c. Nihil enim aliud, quam differentiae & & qualitates possessionū intelliguntur, sicut latius in Intellectib; nostris in tractatu generis eam rem explicauimus. Et per prædicta cessat superuacanea disceptatio Sozi, & aliorum, an breuiloqua sit propria species separata à cæteris: quia immo si speciem acceperimus pro re quæ certis qualitatibus determinata, ab alijs differt, recte separata species dici poterit. Nec enim ignotū est, eam à cæteris non parum differre, sicut in capitulo breuiloque latius dicetur.

Vt autem clarius ac distinctius doceri dicte species substitutionum possint, propter quas præsens labor præcipue insumpitus est, nostrum hunc tractatum in sex capita partimur. Primo de vulgari, dein de pupillari, tertio loco de exemplaria, & quarto de breuiloqua, quinto de cōpendiosa, & tandem sexto miscellanea quædam adiungemus, prout uaria lectio subministrabit. Accedendo ad primum caput, nempe ad vulgarem, iuxta mentem Bart, uidendum est primo, quid

*Divisio tractatus.*